



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

875. An, & qualiter permutatio utrimque completa sit publicanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Respondet cum Boetio Ep. in Clem. unic. de rer. permut. Chok. p. 3. c. 9. n. 4. negativè. Ratio nem dat hanc; quòd, licet vel non impleat per alterum permutatione beneficii; vel aliàs evicto post impletionem permutationis beneficii, aliter redire possit ad suum beneficium, ut dictum q. praeced. Si tamen hoc, quod in beneficiis permutatis est principale, semel fuerit ac maneat impletum (beneficiis nempe hinc inde resignatis, & collatis, & pacificè possessis, nec evictis) ob solas quasdam leges extrinsecas non impletas ad restituendum beneficium nequeat agi; sed ad hujusmodi leges implendas duntaxat, praesertim, si beneficium acceptum non restituatur nec offeratur; cum generaliter in permutationibus verum sit, poenitentiae locum non esse, quando ex una parte totum impletum est, & ex altera parte saltem aliquid est impletum circa partem permutationis intrinsecam, si poenitentia talis alteri parti damnum esset illatura. De cetero, quid sit hac in parte regressus, ubi pensio jam constituta non solvitur, vide ex dictis fusè supra.

Quaestio 873. An permutantes ad sua redeuntes beneficia, fructus interim perceptos & consumptos teneantur restituere, ubi alter permutantium plus altero percepit?

Respondeo Chok. p. 3. c. 10. ex eodem Boetio, decision. Burdigalens. decis. 98. p. 1. & Abb. in c. dilecto. de preb. Quòd si possidenti jus asstitit, & non restitit, non teneri illum ad restituendum: Si verò ei jus restitit, teneri illum, etiamsi alioqui fuerit possessor bonae fidei.

Quaestio 874. An permutatio expedita per Ordinarium, per eundem Ordinarium rescindi possit, instante uno ex permutantibus, praetextu laesionis, & inaequalitatis fructuum?

Respondeo negativè. Chok. de permut. l. 3. c. 5. n. 1. Ventrigl. to. 2. annot. 4. §. 2. num. 55. remittens ad seipsum to. 1. annot. ult. in c. cum dilecti, de empr. & vendit. ac dicens, indubitatè dicendum, quòd hujusmodi permutatio ratione inaequalitatis, seu reddituum, seu onerum, non vitiat; & quamvis in eo dubitari posset de fraude aliqua, cum nemo praesumatur jactare suum, juxta c. super hoc. de renunc. nihilominus haec praesumptio non sufficiat ad rescindendam permutationem. citatque pro hoc Decium, conf. 210. n. 6. & seq. Rationem dat, quòd, cum permutatio principaliter fiat pro utilitate & necessitate Ecclesiae, id solum debeat attendi, quòd principaliter agitur, juxta l. si quis nec causam. ff. si certum petat. & non utilitas & commoditas permutantium, Ampliatur id ipsum,

ut permutatio jam facta rescindi non debeat ob praedictam rationem, etiamsi ultra dimidiam partem laesio intercesserit. Chok. loc. cit. citans Covar. l. var. resol. c. 5. n. 3. Ventrigl. loc. cit. nu. 56. citans Anchar. in Clem. unic. de rer. permut. col. 2. Abb. in c. questum. eod. tit. n. 6. Decium, cit. conf. n. 8. Neque ob stare inquit, quòd in beneficiorum permutatione servanda sit aequalitas, juxta c. 1. & c. ad quaestiones. de rer. permut. eò quòd id procedat in permutatione faciendae, non factae, quae rescindi non debeat. Quòd si tamen decepta est Ecclesia & beneficium, permutatio rescindi debet. Ventrigl. loc. cit. n. 57. citans Cald. conf. 4. de rer. permut. Cagnol. in l. 2. c. de rescind. vendit. n. 57.

2. Limitatur tamen etiam responsio, ut rescindi possit permutatio, ubi pars partem decepisset dolo, asserendo majorem valorem beneficii, juxta c. cum universorum. de rer. permut. Chok. loc. cit. n. 2. Limitatur quoque ulterius ab eodem *ibid.* nu. 3. & seq. ut non procedat in minore permutante. Idque non obstante, quòd minor in beneficiis pro majore habeatur, id enim non impedit, quo minus restitui debeat, ut apparet in Ecclesia, quae licet possit agere, & hoc respectu reputetur major, si tamen decipitur, restitui potest.

Quaestio 875. An, & qualiter permutatio utrimque completa sit publicanda?

Respondeo de hoc satis dictum supra, ubi, quoniam resignationes publicandae, & quòd dictum ibi de resignationibus aliis factis coram Ordinario, eas publicandas, idem dicendum de permutationibus coram Ordinario factis ob paritatem rationis, & quòd circa modum servandum in aliis resignationibus dictum, id quoque huc applicandum.

Quaestio 876. An consumatur turnus ex collatione facta permutationis gratia?

Respondeo: Nisi aliud sit consuetum vel concordatum, non minus ex collatione facta ex causa permutationis consumitur turnus & viciffitudo, quam per collationem ex qualibet alia vacatione. Gonz. ad reg. 8. Cancell. gl. 45. §. 3. nu. 5. citans Philip. Probum in c. cum ex illis. nu. 62. de preb. in 6. Steph. Bertrand. conf. 264. & 323. vol. 1. & cum his Chok. p. 2. c. 31. Porro de turno, ac praecipue de ejus consumptione vide plura lectu digna apud eund.

Gonz. cit. §. 3.

**